# THESES PHILOSOPHICAE,

Quas, Deo auſpice & propitio,

*Pro virili propugnabunt Adoleſcentes*

Magiſterii candidati. 35. ex *Academia*

IACOBI REGIS

Hâc vice cum laureâ emittendi, ad diem 8. Cal.

*Auguſti, Edinburgi, In Æde Sacra Auſtrali.*

Nullæ habentur hic Theses Metaphyſicæ.

---

Præſide *Andrea Stephanide.*

---

Τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς.

EDINBVRGI,

Excudebant Hæredes *Andrea Hart*,

ANNO. DOM. 1625.

# VIRO CLARISSIMO,

## PIETATE, PRVDENTIA, ET omni Liberali Disciplinâ ornatisimo, *Thomæ Hopæo à* Craig-hall, *causarum in supremo* Senatu Patrono integerrimo Adolescentes *Magisterij candidati S.*

EA est cæca hominum φιλαυτία & superba αὐθάδεια, *Vir Clarissime*, ut, quæ à se ipsis proficiscuntur, quantumvis frivola, gerris Siculis vaniora, in quibus nec caput nec pedes, elegantissima tamẽ omnia, altissima, & nihil non divinum spirantia arbitrentur; adeo ut ne Momum quidem ipsum quicquam invenire posse putent, quod in iis carpat. Rursus adeo oculata & aculeata est quorundã invidia, qui domi talpæ sunt, foris lynces, ut, quæ ab aliis proveniunt, licet limatissima, rudia tamen, barbara, ἀφιλόσοφα, ἀκαρποδίωτα, ἀσύμφωνα, paradoxa, perplexa, surreptitia, περιττόμαλα lippis & tonsoribus nota, aut nescio quid aliud illius furfuris sapere statim clamitent. Imo tanta est nunc hominum Bœotico ingenio copia, ut, cum ipsi nec canere nec capere possint, carpere tamen audeant cũ Marsya suavissimum Musarum cãtum. Quibus hoc unicum est scire & sapere, alios omnes vel primæ notæ viros inscitiæ & inspiciẽtiæ arguere; ut alieni nominis jacturâ gradum sibi faciant ad gloriam. Unde fit, ut palmarii etiam, qui quicquam vel politissimum publici juris faciũt, opus habeant Magni alicujus *Mecænatis* Patrocinio, cujus politissimo judicio poliendum opus suum cõmittant, cujusque authoritate, vel, quasi flabello, muscæ illæ abigantur, vel, tanquam anodino, dolor ex venenato earum morsu leniatur. Quantò autem magis decet, imo oportet nos tyrunculos & quintæ classis philoso-

philosophos, cum nunc primum ingenioli nostri fœtũ enitimur, nutritium aliquem quærere, qui illum alat parvulum. Quod dum anxiè animo volveremus, tu omnium primus meritissimò occurristi. Hoc nobis imprimis suasit & imperavit summus amor tuus in omnes Musarum alumnos, præsertim verò in utrumq; nostrum μυσηγέτην defunctũ, & superstitem. Ea etiam tua est in Musas munificentia, præcipuè autem *in almam matrem Academiam*, in cujus olim alumnis, nunc altoribus es, ut eam operosis aliquot & elegantibus musæis nuper extructis auxeris, exornaris; ex præscripto apostolico σεαυτὸν παρεχομένος τύπον, καὶ φροντίζων προΐστασθαι καλῶν ἔργων. Quod certè tantò dignius est, quantò difficilius. *Principium* enim est *dimidium totius*: & *dimidium plus toto*. Si igitur Musæ olim Thespiades a Thespiâ nutrice (ut quibusdam placet) cognominatæ sũt; quidni pari, si nõ potiori jure in posterum à te nutritio Ελπίαδες cognominentur? Ac si cuiquã virtuti, ut præmium optimum, bona debetur fama, eam certè imprimis suo jure sibi vendicare potest beneficentia in Musas; quarum nutrix omnium ore *Eupheme* celebratur. Vtinam multos tui similes Academia haberet pios alumnos, qui mutuam officii vicem bene merendo rependentes, ubi res postulat, ἀντιπελαργεῖν studerent; ut aliquid saltem loci esset proverbio, ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδες. Te, qui tot tantasque causas tam præclare egisti, hanc nostram non detrectaturum spondet στοργὴ in filium tuum optimæ spei adolescentem, qui eandem nobiscum causam dicit. Idem etiam persuasit pristina tua in fratres natu majores humanitas, quos elapso jam quadriennio in tuam clientelã comiter receptos à male-feriatis Zoilis & vitilitigatoribus, ultra Hyberbolum στρηνιῶσαι gestientibus, salvos & incolumes præstitisti. Eosdem idem nunc cõtra nos moliri certo certius est. Sed nos tuo patrocinio freti, tuo præsidio muniti Mæsonica eorũ dicteria, Hippona-

ctea præconia, Archilochia edicta non pluris facimus, quàm fulgur ex pelvi: Panidum verò fuffragia, Pattæcionum calumnias, Ariſtarchorum obeliſcos, ſciolorum argutias, ut nec meremur nec miramur; ita nec veremur nec moramur. Accipe igitur (*Vir humaniſsime*) ſereno, ut ſoles, vultu, & fronte exporrectâ, tumultuaria hæc & incondita lucubrationum noſtrarũ ſchediaſmata, ut debiti obſequii & propenſiſſimi in te animi μνημόσυνον perpetuum. Incredibilis enim tua in utrumq; parentem benignitas ita nos obæratos tenet, ut non fœnori, nedum ſorti ſolvendæ pares eſſe valeamus. Sed omnia hæc tuo permittimus judicio. Quæ nigrũ *Thetà* merebuntur, tranſfiges. Quod tibi non moleſtum, nobis pergratum erit. Vale *Mecænas* optime, & diu fœliciter vive inſigne patriæ, Reip. & Acad. decus; Muſàſq; (quod ſedulò facis) fove, exorna, dilige.

Adoleſcentes Magiſterii Candidati.

*Adamus Bothuel.*
*Adamus Cuperus.*
*Alexander Aleiſius.*
*Alexander Hamiltonus.*
*Andreas Bannatinus.*
*Andreas Carus.*
*Archibaldus Nemonus.*
*David Falconarius.*
*Gulielmus Aickenheidius.*
*Gulielmus Matthæus.*
*Gulielmus Watſonus.*
*Gulielmus Willichius.*
*Iacobus Auguſtinus.*
*Iacobus Carmurus.*
*Iacobus Fiſherus.*
*Iacobus Hunterus.*
*Iacobus Somervallus.*
*Iohannes Armourius.*
*Iohannes Brunus.*
*Iohannes Henryſonus.*
*Iohannes Iacksonus.*
*Iohannes Makghius.*
*Iohannes Oræus.*
*Ionathan Pontanus.*
*Nathanael Hĕryſonus.*
*Patricius Lyndeſius.*
*Robertus Carus.*
*Robertus Colvillus.*
*Robertus Keirus.*
*Robertus Knoxius.*
*Robertus Oſualdus.*
*Robertus Spencæus.*
*Rogerus Speirus.*
*Thomas Eliotus.*
*Thomas Hopæus.*

# THESES LOGICAE.

I.

Ens humana rem totam, & eo, quo in se est, modo, uno intuitu non penetrat.

1. *Ea est nostri intellectus imperfectio, ut cognitionem rebus adæquatam non habeamus.*

2. *Hinc limitatè & inadæquatè, dividendo unam rem in multos conceptus, cognitionem adipiscimur.*

3. *Ex hac conceptuum limitatione provenit* primo, *ut res sub certis abstractionibus concipiamus longè aliter, quàm sunt in re, distinguendo per conceptum, quæ sunt in re coniuncta (dum unum sine alio consideramus) & res sic disiunctè conceptas coniungendo, per prædicationem & illationem.*

4. Deinde *provenit, ut in secunda & tertia operatione intellectus concipiamus res, secundùm quasdam habitudines rationis, quas ipsæ res, ut extra mentem existunt, non habent, sed tantum ut sic conceptæ & abstractæ.*

5. *Habitui mentis directivo necessarium est scire modos concipiendi, sub quibus mens nostra res cognoscit; quales sunt habitudines prædicati & subiecti, generis & speciei, antecedentis & consequentis, &c.*

6. *Sine entibus rationis in logica nihil potest præstari.*

7. *Ut igitur entia rationis ad metaphysicam spectant, ut*

*ſunt quædam entia; ad phyſicam, ut ab intellectu fieri poſſunt; ità ad logicam, ut dirigunt intellectus operationes.*

8. *Ex his ſequitur logicam eſſe habitum organicum fabricandi inſtrumenta notionum logicarum, quæ rerum cognitioni per alios habitus acquirendæ inſerviunt.*

II. Intellectus noſter non ſolùm in diſcurrendo ab uno ad aliud, ſed etiam in rebus ſimplicibus inter ſe componendis, imo & iiſdem ſeorſim & per ſe apprehendendis, errore & confuſione laborat.

1. *Singulæ mentis operationes in rebus cognoſcendis ſuos habent defectus, & vitia.*

2. *Quare ſingulæ, habitus alicuius directione egent.*

3. *Ut hoc ſit munus & uſus* τῆς λογικῆς μαθήσεως τῷ λογικῷ ζῳ *mentem eius ab ortu cæcam, & errori obnoxiam illuſtrare, & dirigere in veri cognitione.*

4. *Obiectum logicæ proximum non ſunt res omnes, ſed actiones mentis ut ſunt dirigibiles per modos definiendi, dividendi & argumentandi in logica traditos.*

5. *Res primæ ſunt tantùm operationis logicæ ſubiectum remotum, proximum verò & primarium, rerum primarum conceptus, ſecundarium autem & reductivè, operationes mentis iam directæ.*

6. *Mentis operationes non ſunt priùs rectæ, quàm recta ſint entia rationis.*

7. *Rectam eſſe mentis operationem non cognoſcimus à priori ex natura ipſius operationis, ſed à poſteriori, per regulam extrinſecam.*

8. *Etſi à priori tale ens rationis ideo convenit operationi, quia ita eius natura poſtulat, à poſteriori tamen & quoad nos, talis operatio fit à nobis recta, quia talibus entibus rationis ut regulis conformatur.*

III. Singularia vel ſolo numero vel ſpecie differunt.

1. *Abſtractio igitur à ſingularibus, una eſt à differentibus ſolo numero ſeu ſpecificis, alia à differentibus etiam ſpecie ſeu genericis.*

2. *Abſtractio alia eſt ſpeciei, alia generis.*

3. *Duo*

3. *Duo tantum sunt universalia in essendo, genus & species.*

4. *Tria reliqua prædicabilia non aliter sunt universalia in essendo, nisi ut habent abstractionem à suis singularibus, specificam, vel genericam.*

5. *Ideoque non simpliciter quà prædicabilia, sed quà ratione suorum inferiorum sunt genera vel species.*

6. *Differentiæ, proprio, & accidenti præter universalitatem in essendo (qua sunt essentiæ abstractæ communes multis singularibus) convenit alia universalitas in inexistendo, quà universaliter existunt in subiectis & de ijs prædicantur.*

7. *Universale igitur in essendo fit per abstractionem à singularibus, in prædicando verò, per modum prædicandi universalem.*

8. *Illud dicitur solum respectu singularium à quibus abstrahitur; hoc verò, non tantùm respectu suorum singularium, sed etiam aliorum, quibus universaliter convenire potest: qualia sunt subiecta singularium ipsius, in quibus existit.*

9. *Modi prædicandi universales partim fundantur in modis in se essendi, partim in modis in alio inexistendi universaliter.*

10. *Et hinc est quod quædam universalia in quid, alia in quale prædicentur.*

IIII. Vniversale est quod aptum est prædicari de pluribus.

1. *Universalia, si pro substratis seu denominatis rebus sumantur, sunt in suis inferioribus & singularibus, nec ab ijs re & subiecto, sed sola mentis consideratione separantur.*

2. *Suorum inferiorum conditionem sequuntur, ita ut, si hæc sint realia, & illa; si hæc substantiæ, & illa, &c.*

3. *Materia universalium non sunt solum res primæ extra*

1. *Ratio ipsius universalis speciei vel generis, non est alicuius formæ realiter inhærentis in ipsis naturis rerum denominatis, sed obiectivè tantum existentis in intellectu cognoscente & denominante.*

2. *Erit igitur denominatio quædam attributa naturæ ab intellectu cognoscente vel abstrahēte eam à suis inferioribus.*

3. *Vniversalia formaliter*

*mentem ſubſiſtentes, ſed etiam entia rationis.*

4. *Cum hæ,* Genus eſt univerſale, affirmatio eſt enunciatio, *ſint prædicationes generis de ſpecie, & hæc,* hoc attributum eſt attributum, *ſit enunciatio non minus quàm iſta,* Homo eſt animal, *notioni imponi poteſt alia notio & eiuſdem, & diverſi tum gradus tum ſpeciei.*

5. *Quia tamen imponitur notioni non quà notio, ſed quà ſubit vicem rei primæ; res primæ adæquatum operationis logicæ ſubiectum & ſunt, & non ſunt.*

*in ſolo intellectu reperiuntur.*

4. *Nec ſubſtantiæ ſunt, ſed accidentia; non realia, ſed rationis; nec ſubiectivè, ſed obiectivè tantùm ibi exiſtunt.*

5. *Univerſalitas eſt relatio rationis, ſeu comparatio, quâ natura refertur ad individua.*

6. *Vniverſale formaliter non eſt nomen abſolutum, ſed reſpectivum.*

7. *Non fit per ſolam operationem intellectus agentis (quâ natura repræſentata in ſpecie intelligibili, ſine conditionibus individuantibus, fit actu intelligibilis) nec per primam cognitionem intellectus poſſibilis (quæ abſtractio dicitur) ſed per eam mentis cognitionem, quæ comparatio ſimplex vocatur, per quam mens unum in altero, vel in ordine ad alterum cognoſcit, ſine formali compoſitione.*

8. *Vniverſale non fit per ſecundam mentis operationem, ſed per primam.*

9. *Et natura prius erit actu univerſalis, quàm actu prædicetur.*

10. *Ita tamen ut mens nequeat cognoſcere naturam eſſe in multis ſine iudicio virtuali, quod formalis fundamentum eſt.*

V. Natura humana quæ eſt in *Platone,* & *Socrate,* diviſa eſt per differentias individuales.

1. *Appropriatur igitur ſingulis individuis.*

2. *Quicquid habet* Plato *ſit hoc, & diſtinctum ab ijs, quæ habet* Socrates.

3. Plato *igitur erit* hic homo, hoc animal, *&c.* Socrates *verò alius* hic homo, *aliud* hoc animal.

4. *Nec naturam & eſſentiam, nec ullum naturæ gradum*

*dum possunt habere unum & communem ex parte rei.*

5. *Possunt tamen omnia naturæ alicuius inferiora inter se retinere attributorum essentialium conformitatem & similitudinem à parte rei.*

6. *Vt natura universalis ex parte rei sit una per conformitatem in multis individuis.*

7. *Etsi ante mentis operationem non sit unitas formalis communitatis, est tamen quædam formalis unitas conformitatis.*

8. *Nulla datur unitas rei extra intellectum, quæ minor sit unitate numerica.*

9. *Cum autem* Socrates & Bucephalus *minus conveniant, quàm* Socrates & Plato *extra intellectum, unitas illa numerica latitudinem habebit.*

5. *Cum unum sit indivisum, & divisio tollat unitatem, nullam habent formalem unitatem communem utrique ante operationem intellectus, nec positivam, nec negativam, nec actualem, nec talem potentialem, quæ conveniat naturæ ante intellectus operationem, quasi prior existat individuis realiter & essentialiter.*

6. *Vt natura aliqua dicatur universalis requiritur, 1. ut ex suis principijs realibus possit multiplicari: 2. ut sit una unitate formali per quam non tantum aliquid est in se unum, sed etiam multis commune: 3. ut sit indifferens ad multa.*

7. *Quod natura sit communicabilis multis habet ab intellectu, quod incommunicabilis habet à differentijs individuantibus.*

8. *Ex se igitur nec est communicabilis, nec incommunicabilis nisi remotè & fundamentaliter.*

9. *Denique ex se nec est singularis, nec universalis, nec formaliter est ingenerabilis, aut incorruptibilis.*

VI. In *Petro* ex natura rei idem est *esse hominem*, & *hunc hominem.*

1. *Vnitas formalis & numerica in eo non distinguuntur realiter, sed virtualiter.*

2. *Nec ratione entitatis, in qua fundantur, sed ratione divisionis diversa, quam privant; & diversæ radicis, à qua pullulant.*

3. *Illa à solâ formâ, ut est radix omnium attributorum essentialium* Petro *convenientium, hæc ex unione formæ cum materia.*

4. *Ratione huius distinctionis virtualis, potest intellectus eas distinguere, concipiendo vnitatem formalem non concepta unitate numerali.*

5. *Dum sic eam concipit, dicitur abstrahere eam ab individuis & facere communem multis ac universalem.*

6. *Vnitatis formalis specificæ aut genericæ, per quam aliquid est multis commune, fundamentum est unitas formalis, qua aliquid est in se vnum formaliter, in quantum virtualiter est distinctum ab unitate numerica, cui à parte rei iuncta est.*

7. *Sicut gradus naturæ non distinguuntur nisi ab intellectu, nec ei conveniunt à parte rei, ita, etsi singulis gradibus entitatis respondent suæ unitates, non tamen distinctæ nisi per intellectum.*

8. *Cum unitas non dicat solam negationem, sed etiam entitatem pro fundamento, & cum diversæ sint entitates specificæ & unitates formales ante mentis operationem, etsi carent divisione formali non possunt habere unitatem formalem.*

9. *Possunt quædam esse non distincta in aliquo, in quo tamen non conveniant; defectu nimirum entitatis positivæ cum negatione iunctæ.*

VII. Sicut *Hoc* & *illud animal*, sic *Hoc* & *illud genus* sub his conceptibus solo numero differunt.

1. *Vtraque hæc prædicatio*, Hoc animal est animal; Hoc genus est genus *fit ad modum secundi prædicabilis.*

2. *Et natura & notio generica (idem proportionaliter dicendum de reliquis prædicabilibus) induere possunt rationem speciei infimæ.*

3. *Secundum prædicabile potest denominare omnia reliqua accidentaliter.*

4. *Sicut hæc*, Homo est species; *ita hæ*, genus est species, accidens est species, &c. *sunt quinti prædicabilis.*

5. *Hæc*, species est species, *etsi sola species prædicabilis utrobique intelligatur, non tamen est identica.*

6. *Vtraquæ*

6. *Vtraque hæc falsa est*, Omnis species est species, & quædam species est species.

7. *Ergo hæc vera est*, quædam species non est species.

VIII. Quantitas una numero, ante divisionem, absque alia ulla mutatione suæ essentiæ, sola divisione acquirit duplex esse numericum, per novos suæ entitatis terminos; ut cum dividitur aqua in duas portiones.

1. *Ratione novorum terminorum fit multiplex numero.*

2. *Etsi divisio quantitativa non sit formaliter divisio substantiarum individualis, proportionaliter tamen, sicut quantitas, ita & essentia quævis, ex novis suæ entitatis terminis, quibus ab alia simili entitate dividitur, acquirit novum esse numericum.*

3. *Differentia numerica est terminus essentiæ vel existentiæ, qua una essentia vel existentia ab alia dividitur numericè.*

4. *Etsi non ex natura rei, ratione tamen distinguitur, tam ab existentia, quàm ab essentia.*

5. *Principium individuationis, quo formaliter res dicitur singularis, ut non est collectio proprietatum, ita nec est differentia aliqua individualis contrahens essentiam ad rationem singularem, ceu peculiaris naturæ gradus, nec est ipsa existentia essentiæ adveniens.*

6. *Erit igitur differentia individualis modus quidam substantialis, naturam completam determinans ad particularem subsistendi modum.*

7. *Extra tamen essentiam individui, ac attributum, modale, non essentiale.*

8. Porphyrii *definitio individui, per collectionem proprietatum, non est à priori, ex ratione formali constituente, sed à posteriori, ex signo indicante individuum.*

IX. Æquè convenit *Platoni* & *Socrati* particularis modus essendi, per quem determinatur natura humana, ut sit singularis in utroque.

1. *In particulari modo essendi conveniunt individua univocè & realiter.*

2. *Talis modus abstrahi potest ab ijs.*

3. *Vt in eo æqualiter conveniunt, poterunt definiri.*

4. *Secunda definitio individui apud* Porphyrium (quod constet proprietatibus, quarum tota collectio nulli alteri convenit) *communis est omnibus individuis substantiæ, quæ sola, omnium calculo, ibi definiuntur, & reipsa eadem sunt cum substantiis primis.*

5. *Per eam definitur aliquod univocum reale, & non sola vox vel notio individui: nempe ratio individuationis realis in concreto, seu officium singularizandi.*

6. *Inter* hominem & Socratem *datur attributum reale univocum & incomplexum, quod directè nullum sit ex quinque universalibus.*

7. *Quia verò conceptus est non rei aut naturæ, sed modi determinantis naturam; erit attributum modale, non essentiale.*

8. *Vt igitur differentia individualis ad 3. prædicabile, ita hæc communis ratio individuationis ad 2. reducitur, ob maximam cum specie similitudinem.*

9. *Individuorum triplex est conceptus, unus, quo conveniunt in naturâ specificâ, alter, quo in officio singularizandi naturam, tertius, quo distinguuntur per determinatas differentias individuales.*

10. *Primus est naturæ simpliciter, secundus, naturæ modificatæ in communi, vel modi, sed indeterminati, tertius est modi determinati.*

11. *Primus non est individuorum quà talia sunt, sed speciei, secundus est individuorum quà talia sunt per differentias individuantes in communi non determinando hanc vel illam, sed abstrahendo ab hac vel illa determinatis, tertius est talium individuorum ut talia sunt per proprias differentias individuantes & particularia nomina determinata.*

12. *Cum individua sub illâ communi ratione considerata non distinguantur per alias differentias, sed per easdem consideratas sub ultimâ ratione particulari determinatâ, vitabitur in infinitum processus.*

X. Hoc album est in subjecto, at hic homo minimè *Cap. 2. lib. categ.*

1. *Illud*

1. *Illud accidens est, hic substantia.*

2. *Etsi* Socrates *&* hoc musicum *sint idem numero* 7. 1. *Top.* Socrates *tamen &* hoc musicum *essentialiter & formaliter differunt.*

3. *Differunt igitur hæ prædicationes,* Socrates est hoc album, *&* Socrates est Socrates.

4. *Hæc identica est, illa minimè.*

5. *Non omnis prædicatio individui de se ipso est identica.*

6. *Sed ea tantum, ubi utrobique sub eâdem ratione formali exprimitur quoad rem significatam.*

7. *Cum ad omnem prædicationem requiratur identitas terminorum, vel formalis, vel materialis; & distinctio, si non rerum, saltem conceptuum; omnis prædicatio est identica πως, nulla παντως, quædam ἁπλως.*

XI. Primum, quod de quantitate concipimus, est unam ejus partem esse extra aliam.

1. *Essentialis ratio quantitatis in extensione partium sita est.*

2. *Huc spectat quantitas molis, non virtutis; & partes extensionis, quæ sunt occupativæ loci per se; non autem partes substantiales aut entitativæ, quas quælibet substantia ex se habet.*

3. *Ab hâc quantitatis essentiâ fluunt hæ passiones,* 1. *divisibilitas in partes extensionis,* 2. *mensurabilitas per aliam quantitatem, vel per proprias partes,* 3. *esse finitam vel infinitam,* 4. *esse fundamentum æqualitatis vel inæqualitatis,* 5. *habere extensionem partium in ordine ad locum,* deniq; *formalis impenetrabilitas, quâ una quantitas non potest se penetrare cum aliâ in eodem loco.*

4. *Cum tempus, locus, & oratio proprias extensiones partium non habeant, non erunt species quantitatis à reliquis distinctæ; etsi vulgo olim habebantur,*

5. *Hinc in Metaph. lib.* 5. *cap.* 13. *Duæ tantum statuuntur quantitatis species, magnitudo & multitudo; seu numerus, ut sola quantitas discreta, & linea, superficies, & corpus, ut solæ quantitates continuæ.*

XII. Ἐστι δὲ τὰ πρὸς τι, οἷς τὸ εἶναι ταυτὸν ἐστιν τὸ πρός τι πως ἔχειν.

1. *Talis erit relatio, qualis fuerit terminus.*

2. *Illæ relationes ſunt eiuſdem ſpeciei, quæ habent terminum eiuſdem ſpeciei*, ut omnes ſimilitudines; *illæ verò ſpecie diſtinctæ, quæ diſtinctos habent ſpecie terminos*, ut ſimilitudo & diſſimilitudo.

3. *Relatio ſpecificatur à termino; non quod terminus ſit eius differentia eſſentialis; ſed quia ab eo, ut conſideratur ſub conceptu determinato, ſumitur.*

4. *Ut igitur genus relationis ſumitur à totâ eius naturâ ſub communi conceptu referendi ad terminum conſideratâ, ſic differentia ab eâdem ſub conceptu ſpeciali & ultimò determinante genus ad talem terminum.*

5. *Species relationum à fundamentis cauſaliter, ſed à terminis q. formaliter ſumuntur.*

6. *Duæ relationes ſpecie diverſæ eundem terminum formaliter non habent.*

7. Paternitas & maternitas *in eodem* filio *poſtulant duas relationes formaliter diverſas; etſi ambæ nomine* filiationis *ſignificentur, & in unam completam ac adæquatam coaleſcant.*

XIII. Hæc eſt demonſtratio ὅτι ab effecto, *Quod non ſcintillat prope eſt, Planetæ non ſcintillant, ergo prope ſunt*, cap. 10. 1. Poſter.

1. *Erit igitur legittimus ſyllogiſmus in 1. figura.*

2. *Cum eius concluſio ſit affirmans, minor etiam affirmata erit.*

3. *Verbum non tantum in enunciatione, verùm etiam in propoſitione poteſt infinitari.*

4. *Reſolvi debet minor ex vi formæ in hanc*, Planetæ ſunt non ſcintillantes.

5. *Etſi idem ſit ſenſus, ſive negatio præponatur copulæ, ſive poſtponatur, ad formam tamen ſyllogiſticam plurimùm refert; quia ex eo pendet an propoſitio, ideoque an ſyllogiſmus affirmativus an negativus cenſeri debeat.*

6 *Ratione formæ ſyllog. longè differunt*, Planetæ ſunt non ſcintillantes, & Planetæ non ſunt ſcintillantes, nempe *ut affirmatio infinita & negatio finita.*

7. *Non omnes propoſitiones eiuſdem ſenſus eidem uſui inſerviunt.*

8. *Æqui-*

8. *Æquipollentiæ ratio non reſpectu uſus, ſed ſenſus ſpectatur.*

9. *Una enunciatio, ut* Planetæ non ſcintillant, *poteſt eſſe gemina propoſitio.*

10 *Cum minor in ὅτι ab effecto ſit concluſio in διότι, huius ſyllogiſmi,* Quod prope eſt non ſcintillat, at Planetæ ſunt prope, ergo non ſcintillant, *Concluſio affirmata eſt.*

11 *Hæc affectio,* non ſcintillare *reipſâ, etſi non voce, aliquid affirmativum notat.*

XIIII. Non fruſtra conſultant homines de rebus futuris, Cap. 9. lib. de interp.

1. *Ratione noſtri non omne futurum eveniet neceſſariò, ſed eveniet aliquid ita, ut poſſit non evenire.*

2. *Etſi contradicentium ſingularium de futuris ex æquo contingentibus, una pars ſit determinatè vera ( N. quæ eſt rei conformis ) altera falſa ( quæ difformis ) non tamen nos poſſumus determinatè dicere, utrum illa ſit affirmatio, an negatio.*

3. *Quod vulgò dicitur (*de futuris contingentibus non eſt determinata veritas*) non intelligendum eſt de enunciationibus in ſe, ſed potiùs de nobis enunciantibus.*

4. *Quare aliud eſt enunciationem eſſe neceſſariò veram, aliud determinatè veram.*

5. Ariſt. cap. 9. de interp. *Determinationem veritatis pro neceſſitate accipit.*

XV. Non poteſt muſica ſine homine, at poteſt homo exiſtere ſine muſicâ.

1. *Hæc vera eſt,* neceſſe eſt omne muſicum eſſe hominem, *hæc falſa,* neceſſe eſt aliquem hominem eſſe muſicum.

2. *Non in omnibus omnino propoſitionibus* de neceſſe *licet convertere univerſalem affirmantem in particularem affirm. ut in enunciationibus* de ineſſe.

3. *Vt igitur eadem ſit ratio converſionis modificatarum* de neceſſe *& ſimplicium* de ineſſe, *opportet intelligatur neceſſitas mutua, quâ ſicut attributum ſubiecto, ita reciprocè ſubiectum attributo neceſſarium eſt.*

4. *Ideoque in terminis reciprocis locum habet tantùm.*

5. *Quare in propoſitionibus ſolis ſummè neceſſariis.*

XVI. Εἰ κατα παντὸς ἀνθρωπου ζωον, εἰ ἀληθὲς τὸ εἰπεῖν ἄνθρωπον, ἀληθὲς καὶ ζωον; καὶ εἰ νυν θατερον, καὶ θατερον. 1. Poſter. 4.

1. *Ut attributum dicatur ſemper ineſſe ſubiecto, non neceſſe eſt utrumque ſemper exiſtat, ſed, ut, quando exiſtit ſubiectum, exiſtat etiam attribntum.*

2. *In propoſitione æternæ veritatis attributum ſemper convenit ſubiecto, non quod ſemper retineat ſuam exiſtentiam abſolutè, ſed ſolùm reſpectu talis ſubiecti.*

3. *Hæ*, Hircocervus eſt hircocervus, Socrates eſt Socrates, *&* Socrates eſt Homo, *ſunt ſemper veræ.*

4. *Identica propoſitio nunquam eſt falſa.*

5. *Non tantum de ſubiecto ſingulari & caduco, ſed etiam de entibus rationis & impoſſibilibus formantur propoſitiones ſempiternæ veritatis.*

6. *Ad propoſitionem ſemper veram, non neceſſe eſt recurrere ad exiſtentiam realem eſſentiarum ab æterno in quodam eſſe obiectivo, ſed ſufficit eſſentialis nexus terminorum exiſtens, vel in re, vel in ratione.*

7. *Ut talis connexio exiſtat, non ſupponit neceſſariò realem exiſtentiam eorum, quæ connectuntur.*

XVII. Secundus modus *per ſe* eſt cum ſubjectum eſt de eſſentiâ prædicati illi inexiſtentis 1. Poſter. tex. 31.

1. *Hæc* Homo eſt grammaticus, *eſt* perſe 2. modo.

2. *Et* ſimitas *ineſt* naſo, 2. *modo* perſe; *etſi* homini *inſit* per accidens, *c. de diffe.*

3. *Quod ineſt toti* per accidens, *ineſſe poteſt parti* per ſe.

4. *Non omne* per ſe *etiam* 2. *modo eſt* de omni.

5. *Non ſolum proprium* 4. *modo, ſed & accidens commune poteſt*

1. Linea eſt recta, numerus eſt par, *ſunt* per ſe 2. modo 1. *poſter. tex.* 36. *Licet ſimpliciter*, per ſe *conveniant hæc attributa ſuis ſubiectis tantùm ſub diſiunctione* 1. *poſter. tex.* 31.

2. *Dicetur ſubiectum eſſe de eſſentia attributi, non quod ſit genus vel differentia, ſed quod attributum ex ſuâ eſſentiâ requirat tale ſubiectum per ordinem*

*ne potest inesse* per se 2. *modo.*

6. *Quod inest tantùm contingenter, potest subiecto inesse hoc modo* per se.

7. *Non omnis propositio* per se 2. *modo est scientialis.*

*ordinem ad quod definiatur.*

3. *Nec, quod sit de essentia attributi intrinsecè, ut pars essentialis, sed extrinsecè, ut terminus, quem essentialiter respicit tale attributum.*

4. *Non omne, quod est de essentia, est genus vel differentia: quales sunt partes generis & differentiæ segregantes.*

5. *Multa etiam ingrediuntur definitionem essentialem, quæ essentiales partes non sunt.*

XVIII. Necessitas simpliciter pro omni tempore major & perfectior est necessitas, quàm quæ est pro aliquo tempore tantùm.

1. *Magis necessarium est* hominem esse risibilem, *quàm* Lunam eclipsari.

2. *Et maior erit certitudo illius, quàm huius.*

3. *Intra latitudinem scientiæ, datur ex parte rei necessitas, ex parte mentis certitudo, una perfectior alterâ.*

4. *Multo magis principia possunt esse magis necessaria & certa, quàm conclusio.*

5. *Summa necessitas, & certitudo magnam habent latitudinem.*

6. *Quare non sequitur*, Conclusio est summè necessaria, *ergo* principia non possunt esse magis necessaria.

7. *Nec*, principia sunt summè necessaria, *ergo* Conclusio non summè.

XIX. Quando nec subjectum, nec attributum est in aliquo toto ἀναγκαῖον μὴ ὑπάρχειν 1. poster. tex. 108.

1. *Cum unum summum genus negatur de altero, aut differentia divisiva de alterâ, aut una definitio de alterâ, aut unum singulare de altero in eâdem categoriâ, sunt propositiones immediatè negantes.*

2. *Cum quantitas removeri possit à substantiâ, vel ex eo quod sit accidens, vel per suam definitionem, vel per suam proprietatem, ad propositionem immediatè negantem requiritur, ut*

*nullum detur univocum & diversum, vel universalius, vel saltem prius naturâ, quod uni termino conveniat & non alteri.*

3. *Cum verò una species infima negatur de alterâ eiusdem categoriæ, si dividant immediatè idem genus, licet ratione generis constituant propositionem immediatam non tamen absolutè.*

4. *Ex* Arist. *propositio prima, immediata, indemonstrabilis & individua reipsâ idem sunt.*

5. *Licet* individuum *&* singulare *sint idem*, individua tamen propositio *longè alia est à* propositione singulari, *quæ potest esse mediata.*

XX. Dialectica est methodus per quam poterimus argumentari de quolibet problemate proposito ex probabilibus, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες, μηδὲν ἐρεῦμεν ὑπεναντιον. 1. top. 1.

1. *Dialectici est sumere posse ea.* παρ' ὁποσα γίνεται δια των κοινων, *vel verus elenchus, vel apparens elenchus, vel dialecticus, vel apparens dialecticus, vel tentativus. 1. Sophist. c. 9.*

2. *Tenetur dialecticus cognoscere omnes elenchos Sophisticos; ne à Sophistâ decipiatur.*

3. *Sophistica propriam particularis logicæ partem à dialecticâ distinctam non constituit: sed potiùs est dialecticæ pars..*

4. *Distinctio particularis logicæ non sumenda est à distinctione syllogismorum materiæ applicatorum.*

5. *Sed potiùs ex diversitate, materiæ,* cui, *& finis principalis*, obquem *forma syllogistica materiæ probativæ applicatur.*

# THESES ETHICAE.

I.

HOnor *vulgo definitur* præmium virtutis tributum à congruenti ejus judice viro probo, ut ejus virtus refulgeat, & alii eius exemplo ad virtutem excitentur.

1. *Definitur hic honor non fundamentaliter promeritis*

*meritis, sed formaliter pro probâ actione honorantis.*

2. *Qnare eadem actio potest esse & causa honoris & honor.*

3. *Vir improbus nec potest verè honorari, cum careat virtute, nec honorare, quia depravatum habet iudicium.*

4. *Pueris, quibus actu virtus non convenit, non competit honor, nisi ob spem.*

5. *Ratione igitur honoris quinque sunt hominum conditiones,* 1. probi, *qui & honorare, & honorari possunt,* 2. improbi, *qui neutrum possunt,* 3. pueri, *qui neutri sunt actu,* 4. continentes *qui possunt honorare, quia rectam habent rationem, sed non propriè honorari, defectu perfectæ virtutis,* denique incontinentes, *qui etiam ob rectam rationem possunt honorare, sed ob malas actiones nullatenus honorari.*

6. *Ut honor primò & eminenter convenit virtuti rationali, ita propriè & proximè, & tanquam* causæ sine qua non, *virtuti morali competit.*

II. Τῷ φιλοκαλῷ ἥδεια τα φυσει ἡδεια *quales sunt virtutum actiones:* 1. Eth. 8. *Lex autem virtutum actiones præcipit, vitiorum prohibet.* ὀρθως μεν, ὁ κειμενος ὀρθως, χειρον δ', ὁ απεσχεδιασμενος.

1. *Dantur actiones morales per naturam iucundæ, ideoque bonæ.*

2. *Cum* 2. Eth. 1. *Virtutum actiones non sint à naturâ, sed more acquirantur; aliud est bonas actiones non inesse nobis per naturam, & bonitatem ipsis actionibus per naturam non competere.*

3. *Quia vulgi ingenium obtusum est, ut hanc actionis rectitudinem percipere nequeat, ideo hic decor per latam legem vulgo est propositus.*

4. *Et* Legislatores *hunc decorem in vitæ actionibus animadvertentes, illas actiones lege stabilierunt, ut bonas & honestas, in quibus hanc iucunditatem adverterunt.*

5. τα καλα, *ut quoad originem sunt à naturâ, ita quoad perfectionem à lege.*

6. *In lege duplicia spectantur, quorum quædam ei extrinsecûs & proximè competunt, ut* quod sit publica præceptio

prodiens ex voluntate Legislatoris: *alia intimiùs, & per principia remotiora*; *N.* quod ducatur ex mente divinâ, eiusque voluntati sit congrua, & ad id bonum dirigat quod suâ naturâ bonum est.

7. Primum *est forma quædam popularis & externa*, alterum *est forma principalis, & interna eius essentia: ex utrâque autem formâ lex absolutissima consurgit.*

III. Qui ex præelectione lædit, est iniustus & vitiosus. 5. *Eth.* 8.

1. *Non tantùm virtute præditus, sed etiam vitiosus agit ex præelectione.*

2. *Non omnis, qui ex præelectione agit, rectâ utitur ratione.*

3. *Agere ex præelectione latiùs patet, quàm sequi ductum rectæ rationis.*

4. *Quare agere ex præelectione nihil aliud est, quàm uti mediis consultatione prælatis, sive ratio fuerit recta, sive depravata.*

5. *Hinc præelectio dividitur in bonam & malam.* 3. Eth. 2.

6. *Nec pueri, nec bruta præeligunt* ibidem.

7. *Spontaneum latiùs patet præelectione*, ibid.

IV. Incontinens agit ex appetitu, non autē ex præelectione; continens contra, ex præelectione, non appetitu. 3. *Eth.* 2.

1. *ἐπιθυμοῦντα πράττειν non est agere sine ratione, sed appetitum sensus rapere hominem contra ductum rectæ rationis ad voluptates corporis persequendas.*

2. Continens *videt meliora & sequitur*; incontinens *verò videt meliora, sequitur deteriora.*

3. Incontinens *nec agit ex præelectione bonâ nec malâ: & ut non est continens, ita nec est probus, nec vitiosus.*

4. Incontinentia *mala est, nec tamen vitium*; continentia *bona, non tamen virtus.*

5. *Vt* continentia est *semivirtus, vel via ad virtutem, ita* incontinentia *est semivitium.*

6. *Brutis, ut non competit* temperantia, *aut* intemperantia; *ita nec* continentia, *aut* incontinentia.

7. *Cum agere, aut contra præelectionem, aut ex malâ præelectione deterius sit, quàm ex vi solius perturbationis, deterius*

*riùs est agere ex ratione depravatâ, quàm ex solo appetitu sensitivo, vel rectam rationem vincente, vel imperio eius carente.*

8. *Ut* intemperans *deterior est* incontinente; *ita uterque deterior est* bruto.

9, *Cum omnis* vitiosus *ignoret quæ opporteat agere*, 3. Eth. 1. *quidam qui nescius peccat, deterior est eo, qui sciens errat, non in arte tantùm, sed etiam in moralibus.*

V. *Virtutes* versantur circa actiones & perturbationes 2. *Eth.* 1. *Politica* verò, circa honesta & justa 1. *Eth* 3.

1. *Virtute morali formantur, interiùs quidem animæ perturbationes, exteriùs verò, actiones externæ, & res contingentes, quæ agibiles dicuntur.*

2. *Etsi anima humana, imo & totus homo à virtute denominetur, neutrum tamen est proximum obiectum bonis moralis subiectum, sed remotum tantùm.*

3. *Divitiæ, voluptates & honores, circa quæ virtutes morales humanum regunt appetitum, non sunt materia* in qua *sed* circa quam *versatur operatio moralis: & subiectum potius artificis (ut loquuntur) quam artis.*

VI. Ex *Proœmio de anima*, omnes perturbationes communes sunt animæ cum corpore.

1. *Non menti, sed sensuum appetitui inhærent, si propriè sumantur.*

2. *Brutis, non minùs quàm hominibus, competere possunt perturbationes.*

3. *Eidem subiecto inerunt virtutes & vitia, cui eorum materia.*

4. *Ideoque fœlicitas & miseria, licet soli homini conveniant.*

5. *Non necesse est proprium animalis rationalis bonum esse subiectivè in animæ parte rationali: sed satis est, si ei conveniat originaliter.*

VII. Virtus moralis est habitus præelectivus in mediocritate *quoad nos* positus, quam ratio viri prudentis definit 2. *Eth.* 6.

# THESES ETHICÆ.

1. *Vitium igitur erit habitus præelectivus, in nimium vel parùm declinans.*

2. *Ut virtus præelectionem bonam, ita vitium malam postulat.*

3. *Utrumque est rationi iunctum; illa rectæ, hæc depravatæ.*

4. *Quia igitur originaliter, quoad principia formantia, sunt in mente, perficiuntur verò in appetitu sensuum, ideo soli competunt homini.*

5. *Omnis probus est prudens, improbus imprudens.*

1. *Prudentia est dux & regula virtutum moralium.*

2 *Ideo ratione facultatis & eminentiæ primum dignitatis locum obtinet, licet moralis virtus ratione ultimæ formæ & actus præstet.*

3. *Unde hæc formaliter, illa effectivè dicitur bona.*

4. *Et quia, quod virtute & facultate est tale, absolutè præfertur, ideo prudentia absolutè dicitur virtutum Regina.*

5. *Cum politica & prudentia sint idem reipsa habitus.* 6. Eth. 8. *& politica sit maximè architectonica,* 1. Eth. 2. *Prudentia iure virtus architectonica dici potest.*

VIII. Τό μὲν δίκαιον το νομικὸν καὶ το ἴσον; το δ' ἄδικον το παράνομον καὶ ἄνισον. *5. Eth. 1.*

1. *Omnis virtus est iustitia, & vitium iniustitia.*

2. *Hæc,* Iustitia est iustitia, *non est identica.*

3. *Hæc vera est,* Temperantia est iustitia.

4. *Cum attributum huius enuntiationis, nec sit iustitia universa nec in parte, non omnis iustitia est vel particularis vel universalis.*

5. *Erit igitur iustitia universaliter sumpta, pro toto universali, non integrali.*

IX. Non potest quis esse probus κυρίως sine prudentia; neque Prudens sine virtute morali, *6. Eth. Vlt.*

1. *Nec virtutes mentales sine moralibus servari possunt, nec contra.*

2. *Nec unus summi boni gradus sine altero.*

3. *Cum omnis sapiens sit prudens, & contra; nullus sapiens potest esse malus.*

THESES

# THESES PHYSICAE.

## I.

ACtualis cognitio distincta est, quâ totum actuale cognoscitur cognitis eius partibus actualibus distinctè, potentialis verò quâ cognoscitur totum potentiale cognitis partibus eius potestativis distinctè.

1. *Non potest species cognosci distinctè, nisi prius cognoscantur genera superiora, nec genus distinctè cognosci, nisi prius cognitis speciebus.*

2. *Notitiâ actuali distinctâ, universaliora priùs à nobis cognoscuntur, quàm minùs universalia; at contra notitiâ potentiali distinctâ priùs cognoscenda sunt minùs universalia.*

3. *Ideoque illic inferius, hic superius est* 1. *cognitum.*

II. Intellectus noster, quamdiu est in corpore, nihil cognoscit nisi per sensus.

1. *Nihil* per se *cognoscit nisi corporeum, & per corpora cognoscit incorporea sensibus non obvia.*

2. *Adæquata & propria eius ratio obiectiva, est entitas corporea; seu adæquatum & proprium obiectum, corpus.*

3. *Illud prædicatum priùs cognoscitur confusè, cuius accidentia, priùs & fortiùs movent sensus, & cuius singulare prius ab ijs percipitur.*

4. *Cum quempiam è longinquo videntes,* 1. *cognoscamus eum esse corpus,* dein *vivens,* mox *animal,* statim *hominem*

& tandem *Socratem*, *universale prædicatum corporis prius actu confuso à mente cognoscitur quàm species infima.*

5. *Ergo species infima non est propinquior sensibus, quàm corpus.*

III. Anima est actus corporis physici organici. 2. *de anima* 1.

1. *Postulat corpus habens diversa organa & apta ad diversas vitæ operationes exercendas, per certas figuras & alia accidentia.*

2. *Debent igitur esse certæ magnitudinis, ita ut maiores aut minores esse nequeant ultra aut citra debitam latitudinem*, 1. phys. tex. 36. & 2. de anim. tex. 41.

3 *Datur maximum & minimum naturale, saltem in viventibus.*

4. *Viventia tam viâ generationis & in bono statu, quàm viâ corruptionis & in malo, postulant terminos intrinsecos magnitudinis & parvitatis à propriâ formâ & virtute finitâ fluentes, quos non possunt excedere: qui* maximum quod sic & minimum quod sic, *vulgò dicuntur.*

5. *Cum tumor & densitas sint qualitates, ideoque tumefactio & condensatio alterationes, viventia per hos motus non acquirunt, nec deperdunt quantitatem, sed acquirunt tantùm qualitatem quandam adversam, ratione cuius quantitas, quam habebant, dilatatur vel contrahitur.*

6. *Cum non omnia individua humanæ naturæ eandem habeant quantitatem, intrinsecus terminus magnitudinis & parvitatis magnam habet latitudinem, & non consistit in indivisibili.*

IIII. Ignis potest in infinitum augeri, si adsit combustibile. 2. *de anim. cap.* 4. *tex.* 41.

1. *Nullus potest igni præscribi terminus, ultra quem* per se *non possit crescere.*

2. *Corpora non viventia, secundùm propriam naturam spectata, cum non augeantur per introreceptionem, ut viventia, & cùm accedant novæ partes formæ cum novis materiæ patibus,*

*bus, non habent intrinsecum terminum magnitudinis.*

3. *Quod hæc inanima habeant* maximum quod sic, *causa est ordo universi, quo ignis v. g. non potest crescere ultra concavum Lunæ.*

V. Corpora inanima nec possunt esse in puncto, nec habere quantitatem actu infinitam.

1. *Habent igitur utrumque terminum & magnitudinis & parvitatis extrinsecum.*

2. Maximum quod non *in his est punctum, vel saltem minima aliqua quantitas sub quâ esse non possunt: &* minimum quod non *erit infinita quantitas.*

3. *Terminari ab extrinseco, & habere terminum quantitatis extrinsecum longè differunt.*

VI. Cujus est aliquod opus, illud est gratia operis. 2. *de Cœlo cap. 3. tex. 17.*

1. *Natura producit rem quamlibet, etiam non viventem, ob aliquam operationem ab eâ exercendam.*

2. *Sicut ad generationem non viventis requiruntur certæ & determinatæ dispositiones in materiâ, ut in eâ introducatur forma; ita etiam determinata quantitas.*

3. *Nullum producitur à naturâ corpus, nisi in eâ quantitate, in quâ possit præstare suas operationes.*

4. *Cum igitur res possit esse tam parva ut operari nequeat, sed statim ac producta est pereat, definitam requirit quantitatem, in quâ generetur & sit.*

5. *Et cum, si designetur minima quantitas, sub quâ non possit esse res, & eam augeamus; devenerimus ad aliam in quâ* 1. *esse possit, & non in minori, quæ erit* minimum quod sic, *non sufficit ad generationem determinata quantitas extrinsecè.*

VII. Vt in artificialibus lignum se habet ad lectum, ita in naturalibus materia prima ad substantiam compositam: cum subjecta natura sit scibilis per analogiam. 1. *phys. tex. 69.*

1. *Vt nullam actu habet formam physicam, ita omnes potest recipere.*

2. *Et quia nullam unam potest semper retinere, ideo omnes*

 *appetit*

*appetit sive nobiles, sive ignobiles, sive præsentes, sive absentes, sive quas amisit, sive quas nunquam habuit.*

3. *Hinc appetitus primæ materiæ, alius est complacentia, per quem non fastidit præsentem formam, alius desiderij, per quem cupit absentem.*

4. *Materia nobiliori forma actuata appetit etiam ignobiliorem.*

5. *Quare materia perfectionem recipit à qualibet formâ.*

6. *Obiectum adæquatum appetitus materiæ est forma in communi.*

7. *Respicit igitur particulares formas secundariò & inadæquatè.*

8. *Contrariam formam appetit, non ut contrariam, sed ut continetur sub communi ratione amissibilis formæ, quæ est adæquata ratio obiectiva desiderij, ad quod* per accidens *se habet contrarietas.*

9. *Quod res semel corrupta non redeat eadem numero, non imputandū est materiæ, nec eius potentiæ passivæ, sed agenti, eiusque virtuti activæ, quæ easdem numero dispositiones in materiam introducere nequit.*

10. *Erit igitur illud impossibile respectu potentiæ, non ab intrinseco, sed ab extrinseco, quatenus habet proportionem cum eo, sed impeditur ne illud consequatur.*

11. *Non omnis potentia est simpliciter frustra, quæ non potest reduci in actum.*

VIII. Ex ente potestate & non ente actu res fit *per se. 1. Phys. 8.*

1. *Nec ex ente* per se, *nec ex non ente* per se, *res fit* per se.

2. *Ex utroque verò fit* per accidens.

3. *De ente, quatenus ex eo aliquid dicitur fieri, quatuor oriuntur combinationes, 1. res fit* per se *ex ente* per se. *2. res fit* per accidens *ex ente* per accidens *3. res fit* per se *ex ente* per accidens, *4. res fit* per accidens *ex ente* per se.

4. *Ex mente* Arist. *ibi duæ primæ sunt falsæ, duæ postremæ veræ.*

5. *Ex*

5. *Ex* ente, *quatenus aliquid dicitur fieri, quatuor etiam sunt combinationes, quarum duæ primæ veræ, duæ postremæ falsæ.*

6. *Ex* non ente, *quatenus aliquid dicitur fieri, consurgunt quatuor combinationes, quarum duæ itidem primæ sunt falsæ, duæ postremæ veræ.*

7. *Totidem denique ex* non ente, *quatenus ex eo negatur aliquid fieri, quarum duæ primæ sunt veræ, duæ postremæ falsæ.*

8. *Ex his patet*, primò 16. *esse combinationes de* ente, *&* fieri *affirmatis ac negatis.*

9. Deinde *in combinationibus de* fieri, *affirmato eam, semper esse falsam, ubi idem distinctionis terminus applicatur tum verbo* fieri *tum* enti *vel* non enti: *illam veram, ubi applicatur* fieri, *& altera* enti *aut* non enti.

10. *Contra in combinationibus de* fieri *negato illæ sunt veræ, ubi idem distinctionis terminus & verbo* non fieri *&* enti *aut* non enti: *falsæ verò, ubi una uni, altera alteri applicatur.*

IX. Ex ente completo, aut ex aggretato ex pluribus entibus in actu res fit *per accidens*; *per se* autem ex materiâ, quæ est substantia incompleta, completam existentiam accipiens à formâ, quæ ei accidit, annexam habente privationem.

1. *Pro diversa acceptione entis* per se *&* *entis* per accidens *ex* Arist. *doctrinâ*, *materia est & ens* per se *&* *non est ens* per se, *ens* per accidens *&* *non ens* per accidens.

2. *Hæ omnes & veræ sunt & falsæ diversâ ratione, res fit* per se *ex ente* per se, *res fit* per accidens *ex ente* per se, *res fit* per se *ex ente* per accidens, *res fit* per accidens *ex ente* per accidens.

3. *Ergo & hæ negationes, res non fit* per se *ex ente* per se, &c.

4. *Ut hæ non sunt simpliciter contradicentes res fit ex ente, res fit ex non ente; ita nec illæ, res fit* per se *ex ente* per se, *res non fit* per se *ex ente* per se.

5. *Non simpliciter necessaria est hæc disiunctio, res vel fit* per se *ex ente* per se; *vel non fit* per se *ex ente* per se, *etsi sit ex*

*hoc loco necessaria.*

X. Materia est non ens *per accidens*, privatio non ens *per se* 1. *Phys. tex.* 79.

1. *Non ens* per se (*ut hîc sumitur*) *non est negatio entis* per se, *sed merè nihil*: *& non ens* per accidens *non est negatio entis* per accidens, *sed subiectum cui inest non ens* per se.

2. *Neutra hæc vera est, non ens* per se *est ens* per accidens; *& non ens* per accidens *est ens* per se.

3. *Utraq; verò hæc vera est ens* per se *non est non ens* per accidens *& contra*; *& ens* per accidens *non est non ens* per accidens, *& contra.*

XI. Non fit quidlibet ex quolibet nisi *per accidens*, nec interit εἰς τὸ τυχὸν παντὸς. 1. *Phys.* 5.

1. *Musicum fit ex non musico, verùm non ex omni* ἀλλ' οὐκ ἐξ ἁπαντός, *& musicum interit in non musicum, non quodlibet* ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ ἁπαντος. Ibid.

2. *Sic (homo) fit ex (non homine) non quolibet sed semine, & interit in (non hominem) non quemlibet, sed cadaver.*

3. *Terminus* à quo *ortus est terminus* ad quem *interitus, N. privatio.*

4. *Privatio physica quadã formam præcedit, alia formæ succedit, in quam quasi transit forma recedens.*

5. *Non omnis privatio physica adiunctã habet proximam potentiam ad formam, cuius est privatio.*

6. *Nec omnis privatio physica est principium generationis.*

3. *(Non homo) ut est privatio physica duplex est, semen & cadaver.*

4. *Unaquæque forma duas habet privationes sibi oppositas, quarum una est absentia formæ cum proximâ ad eam potentiâ, altera est absentia formæ, quæ ultimò in materiâ interiit.*

5. *Et privatio præcedens & succedens adiunctam habent formam substantialem.*

6. *Vtraque dici potest* κατὰ πῶς, *N. per concomitantiam.*

XII. Materia est primum subjectum, ex quo inexistente res fit, non *per accidens*, & in quod ultimò resolvitur, 1. *Phys. tex.* 82.

1. *Oportet eam esse ingenerabilem & incorruptibilem* ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον. Ibid.

2. *Quod*

2. *Quod interit in eâ est privatio.* Ibid.

3. *Materia prima infinitæ formarum vicissitudini obnoxia, manet semper eadem numero.*

4. *Cum diversæ numero formæ non possint eandem numero existentiam tribuere, non omnis existentia materiæ primæ est à formâ sed completa tantum.*

5. *Unitas materiæ est duplex, alia propria, alia adventitia à formis, quas recipit: illa stabilis est, hæc varia.*

6. *Materia singularis, quæ in cuiusque individui essentiâ continetur, non est vaga, sed certa, & licet non sit simpliciter semper eadem, ob partes fluentes & reparatas, est tamen eadem continuatione seu continuo partium successu: nec unam novam materiam de integro assumit.*

7. *Non absurdum est eandem singularem materiam esse de essentia plurium, ut hominis & cadaveris.*

8. *Cum* Socrates *puer & adultus sit idem numero Homo, non necesse est, ut idem individuum ex iisdem partibus nulla mutatione variatis constet.*

5. *Cum verò sit entitas realis & actualis extra causas distincta à quocunque composito & formâ; à nulla formâ eam habet existentiam per quã dicitur esse in rebus, & quæ actus entis dici solet.*

6. *Cum denique materia nec inhæreat subiecto sicut accidens, nec materiæ, sicut forma materialis, habebit etiam propriam subsistentiã licet partialem, ut subiectum* per se *existens licet incomplete.*

7. *Imo quia materia & privatio, quæ sunt unum numero, differunt ratione,* 1. phis. 7. *& materia cœli & sublunarium differunt specie, materiæ primæ licet tribuere etiam actum entitativum & Metph. saltem* κατ᾽ ἀ, *quem intra essentiam includat.*

8. *Ita ut sit quædam species ex genere & differentiâ constans; cuius genus sit materia in communi, differentia sumatur ex ordine ad formam entis generabilis.*

9. *Materia dicitur pura potentia non simpliciter, sed respectu actus physici.*

10. *Quia igitur datur medium inter ens completum & merè nihil, differunt* esse potentiam, *&* esse in potentiâ:



*item*

*item* esse in actu & esse actum.

II. *Cum igitur hæc sit vera & non identica*, materia prima est materia, *datur materia prior prima*.

XIII. ὅταν τὶς ἰατρεύῃ αὐτὸς ἑαυτὸν τέτε ἕνεκεν μᾶλλον ἡ φύσις, ac si in ligno esset ἡ ναυπηγικὴ eodem modo operaretur, quo natura. 2. *Phys.* 8.

1. *Si ars esset* per se *in eodem subiecto in quo est eius effectio, à naturâ planè non differret.*

2. *Vniuersale igitur & unicum principale discrimen est inter naturam & artem, quod hæc externum, illa internum sit operandi principium*, primò & per se.

3. *Quare* 6 Eth. 4. & 2. phys. tex. 3. *distinguitur natura non tantùm ab artibus vilioribus & mechanicis, quarum operationes transeunt in externam materiam, quæ minùs similes sunt naturæ, sed ab ijs etiam artibus (si quæ sint) quarum operatio est immanens, quæque naturæ sunt similiores.*

XIV. Motus est actus ejus quod est in potentiâ, quà est in potentiâ. 3 *Phys.* 1. Movens autem semper secum fert aliquam formam quæ sit principium & causa motus. 3. *Phys.* 2.

1. *Motus physicus non tantum est actus mobilis, quô novam formam acquirit, sed etiam actus moventis, quô suam formam exercet in movendo.*

2. *In motu idem numero actus & primus est & secundus, & perfectus & imperfectus ratione moventis vel mobilis, eius ut* à quo, *huius ut* in quo. 3. Phys. 3.

3. *Ex* Arist. *vix licet definire, utrum motus an formæ prior sit absolute.*

XV. Continuum est divisibile in semper divisibilia. 1. *Cœlo* 1.

1. *Infinitæ sunt actu partes continui inexistentes, sed non* per se *existentes; proportionales & communicantes (quæ in entitate conveniunt, & quarum una aliam includit) non autem æquales, aliquotæ & non communicantes.*

2. *Ergo in ratione partium tantùm sed non in ratione entis.*

3. *Vt nullum est* infinitum *actu &* categorematicè, *sic infini-*

*infinita ſunt* infinita *poteſtate & ſyncategorematicè.*

XVI. In cœlo non eſt actio aut paſsio.

1. *In motu cœli nulla eſt reſiſtentia ex parte medij.*

2. *Poteſt fieri motus localis, ubi medium non reſiſtit.*

3. *Defectus reſiſtentiæ in medio nihil impedit quo minùs fiat motus in vacuo.*

4. *Poſito vacuo, in eo tamen poſſet fieri motus.*

5. *Nec in inſtanti, ſed tempore, ob diſtantiam inter terminos, & extenſionem mobilis.*

XVII. Omnes dealbationes ſunt ejuſdem ſpeciei. 5. *Phyſ.* 4.

1. *Vnius ſpecie motus termini* à quibus *ſpecie differe poſſunt.*

2. *Vnitas ſpecifica motus non à termino* à quo, *ſed à termino* ad quem *ſumitur.*

3. *Motus terræ & ignis à Luna ad centrum ſunt eiuſdem ſpeciei.*

4. Eſſe naturalem, *aut* violentum, *ſunt tantum accidentales differentiæ motus ex parte principij, à quo non ſumitur unitas vel diſtinctio ſpecifica.*

XVIII. Quodlibet elementum eſt corpus ſimplex.

1. *Ad unum tantùm locum naturaliter movetur.*

2. *Idque per unicam ſimplicem qualitatem.*

3. *Quando aer petit ſuum locum, ſive ex Lunæ concavo, ſive ex mundi centro, uterq; hic motus eſt eiuſdem ſpeciei.*

4. *Aſcenſus & deſcenſus etiam in eodem mobili, tunc tantum ſunt contrarii, cum fiunt ad terminos abſolutè cõtrarios & à contrario fluunt principio.*

3. *Cum in duobus ſupremis elementis ſit levitas ſine admixtione gravitatis, in duobus infimis gravitas ſine levitate, illa utraque ſunt ſummè levia, ſicut hæc ſummè gravia.*

4. *Virtutes motrices non tantùm in extremis elementis, ſed etiam in medijs ſunt qualitates ſimplices.*

5 *Non omne quod eſt ſummè grave aut leve eſt tale ſimpliciter.*

6. *Poteſt aliquid eſſe ſummè leve quod ſuâ natura non tranſcendit ſupra omnia elementa, & ſumme grave quod ſuo pondere*

*dere non infra omnia descendit.*

XIX. Gravius ferit sagitta paulo post initium motus, quam statim in ipso initio.

1. *Celerius movetur in parte aeris paulo remotiori à manu projicientis, quàm in parte ei proximâ.*

2. *Mobile facilius movetur per medium motum ad eandem partem ad quàm tendit mobile, quam per medium quiescens, aut contranitens.*

3. *Impulsus impressus mobili à projicieute non est sola causa motus projectorum.*

4. *Status in motu violento non est in principio tam positivè & strictè, quàm negativè & latè sumpto, quatenus nec est in medio nec fine.*

5. *Principium, medium & finis, in quibus est vigor motus inæquabilis, determinanda sunt negativè & latè.*

XX. Vt semen est non Homo, ita Homo est non Semen.

1. *Cum ex Semine fit Homo, & ex non Homine fit Homo, & ex Semine fit non Semen.*

2. *In omni mutatione substantiali, forma interitura adiunctam habet privationem introducendæ, cui suum tribuit nomen: privatio autem formæ, quæ proxime interiit, comitatur formam productam à quâ denominatur.*

3. *Vterque terminus in omni mutatione substantiali &* privatio est, *&* forma, *&* ens, *&* non ens.

4. *Omnis mutatio in substantia dici potest esse reipsâ & ab* ente *ad* ens, *&* à non ente *ad* non ens.

5. *Hinc omnis mutatio substantialis eadem numero, est & ortus & interitus.*

6, *Ortus & interitus non re, sed ratione differunt.*

7. *Ita tamen ut ortus, ex parte* efficientis *sit naturâ prior, ex parte verò* materiæ *posterior: sicut introductio novæ formæ se habet ad expulsionem antiquæ, & receptio novæ ad purgationem materiæ ab antiquâ.*

XXI. Mistio est miscibilium alteratorum unio. 1. *de ortu.* 10.

1. *Non tantùm materia, sed formæ miscibilium servantur in misto,*

*miſto, ſed illa integra, hæ fractæ.*

2. *Gradus formarum elementarium non ſunt terminus* à quo *miſtionis, ſed potiùs partes miſti.*

3. *Terminus igitur miſtionis* à quo, *ſunt elementorum formæ integræ & non refractæ.*

4. *In ortu miſti, non fit reſolutio in materiam primam.*

5. *Non tantùm elementorum qualitates, ſed formæ etiam ſubſtantiales intenſionem & remiſſionem patiuntur in opere miſtionis.*

6. *Elementorum formæ quoad realitates ſunt diviſibiles in gradus, in quibus ſingulis eſt nova formalitas.*

7. *Nec totæ generantur in momento, nec corrumpuntur, ſed gradus poſt gradum in inſtanti accedit & recedit præeunte alteratione temporis ſucceſſionem habente.*

8. *Non omnis generatio ſimpliciter etiam propriè ſumpta ſit in inſtanti, ſi ſpectetur totus terminus* ad quem.

XXII. Intereunte frigore aquæ, & ſiccitate ignis, fit aer. 2. *de ortu. cap.* 4.

1. *Quando ex aquâ fit aer manet idem numero humor.* 1. de ortu 5.

2. *Qualitates ſymbolæ ſunt eiuſdem ſpeciei.* | 2. *Elementa ſymbolica facilius mutantur quàm aſymbola.* 2. de ortu. 4. tex. 25.

3. *Intereunte aquâ manet ſubiectum humoris aquei.*

4. *Non compoſitum, ſed, ipſa prima materia, eſt ſubiectum inhæſionis illius accidentis.*

5. *Forma igitur tantùm erit conditio materiæ neceſſaria ad receptionem & inhæſionem accidentis.*

6. *Primum & unicum ſubiectum inhæſionis omnium accidentium materialium eſt prima materia, è cuius potentiâ educuntur.*

7. *Idem numero accidens poteſt ſervari in genito & corrupto.*

8. *In ortu & interitu ſubſtantiali, non neceſſariò fit reſolutio in materiam primam.*

XXIII. Sensitivum est potestate tale, quale sensile est actu. 2. de *anima* 5.

1. *Sentire est pati ab obiecto.* ibidem.

2. *Visio fit per receptionem speciei (ut & omnis sensatio) non per solam emissionem radiorum.*

3. *Cum sensile situm supra sensorium non sentiatur, omnis sensio fit per medium.*

4. *Et cum sit certa ratio inter sensorium & sensile, hinc vehemens sensile sensum ladit, exile fugit.*

5. *Insensile triplex est, aliud in excessu, aliud in defectu sui obiecti, aliud plane extra eius rationem.*

6. *Etsi nullus detur sensus cuius non est sensile, datur tamen sensile cuius non est sensus.*

7. *Idem respectu eiusdem sensus potest esse & insensile & sensile.*

XXIV. Δυνάμει πως ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ νοῦς· ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ. 3. *de* An. *cap.* 4. *tex.* 14.

1. *Intellectus patiens ex se est sicut tabula rasa in quâ nihil sit depictum.* Ibid.

2. *Ex* Arist. *nullæ dantur* communes notiones *quæ statim insunt nobis ab ortu: nedum* habitus principiorum.

3. *Cum deficiente sensu dificiat scientia* 1. poster. tex. 134. *sola accidentia* 1. *&* per se *sensibilia, immediatè ab intellectu apprehendi possunt, reliqua per ea.*

4. *Omnis nostra cognitio fit ope sensuum, sensim & per tacitam inductionem.*

5. *Intellectus fit intellectus per intellectus cognitionem.*

6. *Ita ut hæc, Intellectus in actu, Intellectio ipsa, species intelligibilis & res intellecta, sint reipsâ idem.*

---

# THESES ASTRONOMICÆ.

I.

ÆQualium & similiter oppositarum magnitudinum vicinior major apparet remotiori, ut demonstrant Optici.

1. *Res omnes minores apparent aspectu directo quàm, ut reipsa.* 2. *Hinc*

2. *Hinc res minimæ brevi intervallo ab aspectu disiunctæ depereunt.*

3. *Hinc* etiam *vultus humanus lentigine aut variolarum cicatricibus fadatus, ex intervallo tamen formosus apparet.*

4. *Hinc* denique *terrenus orbis ⊙ comparatione puncti rationem habet.*

5. *Quod quædam loca exhorrescant gelu, alia torreantur æstu, alia perpetuâ quadâm fruantur temperie; & quod ⊙ nunc ad nos accedere, nunc à nobis recedere videatur, causa non est sensibilis terræ magnitudo.*

6. *Sed potiùs orbicularis terræ figura, vnde fit ut radii ⊙ non ad eosdem angulos semper feriant terram ubique.*

II. Ex Opticorum doctrinâ, planorum sub oculo jacentium remotiores à visu partes in altum efferri videntur.

1. *Hinc templorum pavimenta ingredientibus fastigiata apparent.*

2. *Et Horizon editiori spectàtur loco, quàm verè sit, ob nimiam Horizontis à nobis distantiam; unde spectatur in eadem altitudine, quâ oculus.*

3. *Hinc etiam fit, ut maris convexitas protuberare in morem gibbi videatur.*

4. *Hinc est quod navigantes per mare scandere se perpetuò arbitrentur.*

5. *Idem eâdem de causâ evenit per myricas & desertos campos iter facientibus, qui sive eant, sive redeant semper conscendere se putant.*

III. Zenith est polus Horizontis.

1. *In Sphæra paralellâ polus mundi est in Zenith.*

2. *Habitantibus sub polis stellæ omnes, vel sunt* ἀειφανεῖς *vel* ἀφανεῖς; *nullæ* ἐπιπολαῖαι.

3. *Idem circulus reipsa est & Æquator, Horizon & Maximus semper apparentium.*

4. *Quanta est maxima ⊙ declinatio, tanta est ibi altitudo eius meridiana maxima, & tanta est depressio sub Horizontem & contra.*

5. *⊙ ultra 23 G. & 3. M. nec unquam elevatur, neo depri-*

*deprimitur.*

6. *Nullus est ibi ascensus aut descensus signorum.*

7. *Ortus astronomicus non est affectio astronomica communis omnibus Astris in omni Sphæræ situ.*

IV. Quo minorem proportionem habuerit altitudo corporis luminosi ad altitudinem opaci, eo maior projicietur umbra.

1. *Hinc circa ortum & occasum ☉ maiores sunt umbræ quam in meridie.*

2. *Eadem de causâ meridianæ ☉ umbræ hyeme quàm æstate sunt nobis prolixiores.*

3. *Et umbræ ☉ meridianæ in Sphærâ paralellâ sunt longissimæ.*

4. *Denique umbræ ☽ sunt longiores ☉ cum utrumque astrum in eâdem fuerit altitudne supra Horizontem.*

V. Sphæricum lucidum maius maiorem opaci partem irradiat è propinquo quàm è remoto; at contra minus minorem.

1. *Luna quo ☉ vicinior, eo magis, quo remotior, eo minùs illuminatur.*

2. *Sol perigæus plus ☽ apogæa, apogæus verò minùs eiusdem perigæa illustrat, quàm unquam alias.*

3. *Licet semper medietate maior ☾ pars illustretur, & ☽ plena facies semper appareat nobis equalis, hæc tamen sibi admodum inæqualis est.*

1. *Luna quo vicinior est terræ eò minorem eius partem, quò remotior eò maiorem illuminat.*

2. *Luna perigæa minus terræ illustrat quàm apogæa.*

3. *Etsi ☽ plena semper sit in auge eccentrici, quia tamen non semper est in auge epicycli, ideo non semper ex æquo illustrat terram.*

4. *Hinc etiam fit ut oculo ad Sphæram propius accedente, portio quæ spectatur, sit minor, appareat tamen maior.*

5. *Indidem fit ut in mari adventante procul naves ex editiori loco priùs prospiciantur, quàm ex inferiori.*

6. *Luna cũ maximè illustratur à ☉, minimè illustrat terram.*

7. *Et cum minùs à ☉ illustratur, plus terræ illustrare potest.*

FINIS.